

summa ejus capita percurram, ut quisque consilii mei rationem et cognoscat, et probet.

Ac primo si ad antiquas horum populorum origines animum intendamus, nonnulla in promptu esse possunt argumenta, quibus probetur Alexandriam in antiquae Statiellensi nationis finibus fuisse aedificatam, finitimosque populos, qui ad eam incolendam coiverunt, Statiellenses magna ex parte fuisse. Ad hujus sententiae confirmationem illud solummodo hic referendum puto (nam omnia persequi alterius erit loci) vel ipsos Alexandrinos cives eosque, qui superiori aevo et doctrina et eruditione maxime florebant Statellates se et nomine et re esse gloriatos fuisse. Quod si Statiellenses iidem fuerunt atque Aquenses, quis negabit illos qui Alexandrinos novo nomine se dici voluerunt, Aquenses origine ac natione fuisse?

Quod si ad sequiora tempora nos convertamus, non ne multo haec clariora fient atque probabiliora? Sub Romanis imperatoribus cum Statiellenses ad Christianam religionem accessissent, eis datus rerum sacrarum moderator ac Praeses Episcopus, ac amplae eorum regiones in Dioecesim conclusas fuisse verosimile admodum fit. Quam eorum conditionem ac statum approbarunt Longobardi, cum eis omnibus unum Ducem, et Carovingi Imperatores unum Comitem rebus civilibus praefecerunt.

Ac ne conjecturis solum niti videamur, illud virosum clarissimorum auctoritate constat totum Alexandrinae Civitatis agrum intra Comitatum Aquensem stetisse. Nam V. C. Durandus in suo *Pedemonte Cispadano* pag. 222., ubi rem hanc data opera et magna eruditione speciatim versat, Comitatum Aquensem hisce quasi a natura positae confinibus terminari asseruit, nimirum ad meridiem et orientem versus *Burmia*, *Jugo Pennino*, *Amporio* et *Urba*; ad septentrionem *Burmia* et *Tanaro* (ut vero mihi videtur tota etiam illa planitie quae collibus cingitur ad *Fubinas* et *Cuccarum* usque) collium jugo ac cacuminibus, quae *Belbi* ac *Tanari* valles dispertiunt, et in hujus fluvii ripas molliter desinunt, ac in superiori parte *Tinella* ubi in *Belbum* defluit, et addo ego *ussone* fluvio.

Atque ita totus harum regionum tractus permansit, quousque nova urbs ubi erat *Roveretum* fuit aedificata. Neque enim moror non nullas, quae per temporum obscuritatem atque necessitatem contigerunt varietates. Vix itaque ad retundendam *Friderici I.* improbitatem, ac intollerabile imperium declinandum aedificata fuit *Alexandria*, cum *Alexander Pontifex*, ut se gratum civibus ostenderet, qui ob ejus jura tuenda adversus *Fridericum* sacramento se obstrinxerant, ac diuturnam obsidionem perpassi insignem tandem de eo reportaverant victoriam, eorum civitatem Episcopali dignitate ornandam censuit, ac finitimas Dioeceses imminuens plures ex *Aquensi* Ecclesias detraxit, ut *Alexandrinae* subderet. Haec autem Ecclesiarum a Dioecesi *Aquensi* disjunctio, ita *Aquensibus* fuit molesta, ut ipsi in apertam discordiam erumpentes ad eam impediendam nihil non fuerint aggressi.

Ad haec gravissima duarum civitatum dissidia sedanda a summi Pontificis legatis captum consilium fuit utramque uniendi, quod et *S. P. Innocentius III.* peculiari diplomate (v. 2. p. col. 21. n. 19.) confirmavit. Rem narro et antiquis documentis testatissimam, et disertis verbis ab *Opizzone* Episcopo *Derthonensi*, et *Bono Johanne* Canonico *Vercellensi* a *S. Pontifice* ad utriusque civitatis lites componendas delegatis initio diplomatis, quod in hanc causam ediderunt, relatum. (vide *Part. II. col. 16. n. 12.*). Sic autem habent: